

del Convento de los carmelitas
descalcos de la Ciudad de Luzerna



Sancho

Ex

Sancho
Sancho
Sancho

HYMNO
RVM RECOGNITIO
PER ANTONIVM
NEBRISSENSEM.

Cum aurea illorum an-
notatione. 61
Cason

Imperiali cum
priuilegio.

ANTIQVARIÆ,
Excudebat Antonius Nebrissensis. :
M. D. LXXIII.

HYMNORUM

RECOGNITIO
PER ANTONIVM

NEBRISSENM



Curantibus
Honoribus
et

Imperialium
privilegio.

ANTIOCHIAE
Excusae Antonii Nebrissensis
M.D.LXXIII.



AELII ANTONII NEBRISSENSIS GRAMMATICI

RECOGNITIO HYMNORVM AD SALMANTIN

censis Academiae Senatui sapientissimum. Felicitet.



Si vestris in me beneficijs. P.C. quae fuerunt mihi ipsa varietate meorum temporum, vel in prosperis rebus meis iucunda, vel grata in aduersis: par ac mutua voluntas redderetur: nullum esset opus ab ingenio meo profectum, quod non vestro potissimum nomine in vulgus exiret. Sed me huius rei cupidum prohibuit partim meus pudor: qui nihil adhuc videbar elaborasse: quod esset dignum ornatissimo isto ordine: partim quod intelligebam studia mea plerisque vestrum fore ingrata: nonnullis etiam suspecta & inuisa itaque continui meipsum, ne qua in re vellem obseruantiam & pietatem meam erga vos declarare, molestus atque odio sus essem. Nunc vero cum esset mihi in animo dare operam, quemadmodum nonnulli codices ex sacris & ecclesiasticis literis deprompti quam emendatissimi imprimantur, quos auditoribus meis legendos proponerem, auspiciatusque essem ab hymnorum volumine, quod erat tum mendis, tum carminum confusione deprauatum, visum est hunc laborem meum splendissimo nomini vestro dedicare. Non quod me existimem ex alieno opere sola praefatione aliquam bonam gratiam a vobis aucupari, sed ut censurae atque iudicio vestro subijcerem hanc emendationem meam, in quam sum ausus nonnulla errata, quae per omnes libros passim reperiuntur, ad lineam veritatis reducere. Quod si intellexero sapientiae vestrae singulari hos labores meos esse non iniucundus, neque a me frustra susceptos: aggrediar deinceps aliud opus quod sit & ingenij mei viribus, & autoritate vestra magis dignum. Sed cuiusmodi sint errores, quos in hoc volumine deprehenderim, breui demonstrabo. Est in principio operis mendum, quod omnes libri vno consensu arripuerunt: & quod nemo est (si modo purgatam habeat aurem) qui non fateatur esse vitium manifestarium: in loco illo. Nos morte victa liberet, pro quo ego iurarem ab autore carminis fuisse scriptum: liberat: cum ordo ipse, & contextus orationis hoc desideret.

¶ Nam hortatur nos ut torpore somni exussio ad orationem dominico die surgamus: quo & mundus est conditus, & Christus resurgens nos morte victa liberauit. Nam liberat: hoc loco eo modo positum est, pro liberauit, quo in.iiiij. Vergilij positum est. Omnis humo fumat neptunia Troia, quod Seruius exponit pro fumauit.

A ii

Neq;

Deft. el.

¶ Neq; enim putamus, aut optamus, vt liberet nos morte victa : cum verborum series sit inconsequens sed adducimus causam cur nobis tali die surgendum sit hoc est, quod Christus resurgens morte victa nos liberauit, quod & alio loco ecclesia canit. Qui mortem nostram moriendo destruxit : & vitam resurgendo reparauit. Prima namq; hymni pars narratiua est : secunda vero deprecatiua : cum subditur iam nunc paterna claritas in eodem præterea hymno, & in alijs emendauimus pro paraclyto penultima breui paraclyto penultima longa, & in eadem accentu acuto.

¶ In sequenti hymno iesu labentes respice, pro labentes labantes reposuimus ex ratione carminis, quæ in secundo versu habet iambum: quare non labentes, cum primam labor laberis producat: sed labantes à labo labas. quod primam breuiat.

Quod & Mamotrectus adnotauit.

¶ Quod vero sequitur. Si respicis lapsos cadunt: contrarium dicit ei, quod petimus, quare legendum potius si respicis lapsus cadunt, id est, cessant, & tolluntur, sunt autem lapsus, loca lubrica ad cadendum obnoxia. Verg. ij. Aenei. pedibusq; rotarum subiiciunt lapsus.

¶ Est præterea in quarto hymno scriptum. Pellat languorẽ, pro quo debere scribi anguorem ex ratione carminis facile apparet. Nam quemadmodum in apparatu diximus. Carmen est sabicum, quod constat trocheo spondeo, dactilo, & duobus trocheis. Ex quo fit, vt quanquam sensus indifferenter anguorem & languorem possit accipere, ratio tamen carminis nullo modo languorem admittat.

¶ Quod si dixerit quispiam rectius saluti (quam tribui petimus) languorem, quam an guorem opponi Possem ego respondere poetam citius fuisse transgressus rum leges elegantie, quam carminis, sed potius illud placet, anguorem rectum positum esse hoc loco cum non multum distet à languore cum sit angor (quemadmodum Diffinitur Thysculanarum questionum libro quarto) ægritudo premens. Langoꝝ vero ægritudo crucians.

¶ In hymno Somno refectis artubus lucis labescat munere, lege tu labascat pro labescat, quia (vt in superioribus diximus) labor laberis à quo est labasco labascis primam breuiat, quod hoc in loco desideratur : quia iambus est necessarius in secundo loco.

¶ In hymno Splendor paternæ gloriæ. Casus fecundet asperos : legetu casus secundet asperos, id est secundos & prosperos faciat, non fecundos, id est, fertiles & copiosos, quod esset contrarium ei, quod petimus, quum præsertim syllaba repugnet. quæ in secundo loco debet constituere iambum.

¶ In hymno Telluris ingens conditor propulsis atq; molestis. Ex eadem ratione emendauimus pulsus aque molestijs, vt stet versus habeatq; in secunda sede iambum. Nam moles aquæ prohibet terram esse stabilem.

¶ In hymno

¶ In hymno Nox & tenebræ & nubila, rebusq; iam color redit: sic legendum est, non calor, vt pleriq; omnes codices habent ex lectione originali ipsius Prudentij, & ratione contextus, quia luce adueniente omnia recipiunt suum colorem, qui per noctis tenebras videri non poterat dicente Vergilio. Et rebus nox abstulit atra colorem.

¶ Nox atra rerum contegit terræ colores, sic est legendum, non calores, vt statim diximus, in plerisq; codicibus legi, non repugnante ratione carminis, sed sensu & mente auctoris.

¶ In hymno Vox ecce clara intonat, ab æthere Christus promicat, lege æthra, vt stet ratio carminis, quæ non recipit anapestum in tertio loco, cum præsertim idem prope significat æthra quod æther.

¶ In hymno O gloriosa domina, legendum fœmina non domina, tum ex lectione antiqua, tum ex ratione carminis, quod habere debet in tertio loco iambum aut spondeum, non pyrrichium, & in eodem pro Lactasi sacro vberè, lege, tu lactas sacro vberè: ex eadem ratione carminis.

¶ In hymno Lustra sex qui iam peracta. Agnus in cruce leuatur, lege agnus in Crucis leuatur immolandus stipite. Vt sit ordo: agnus leuatur immolandus in stipite Crucis, & stet versus, alias claudicaret, qui debet habere trocheum necessario in tertia sede.

¶ In hymno Sanctorum meritis. Calcarunt omnia. Legendum est calcarunt hominum: quoniam alias non staret versus, qui debet habere dactylum in secundo loco. Ex veteri librorum lectione,

¶ In hymno Rex gloriose martyrum. Qui respuentes terrena, castiga tu terras: quia debet esse iambus in quarta sede, neq; potest recipere longâ in penultima syllaba.

¶ In hymno Iste confessor. Hodie lætus, legendum hoc die lætus. Vt sit trocheus in primo loco, & non pyrrichius: hodie legatur, qui (vt diximus) non recipit spondeum vel trocheum in quarto loco.

¶ In hymno Iesu corona virginum. Quem mater illa concepit. Legendum concipit, vt sit præsens pro præterito & stet versus.

¶ In hymno Virginis proles. Legitur secreta scandere celi, pro eo quod esse debuit sacrata scandere celi. Nam cum secreta primam producat, esset spondeum in quarto loco, cum debeat esse trocheum.

QVID SIT HYMNVS, ET VNDE

Carmen dicatur.

HYMNVS interpretatur canticū, siue laus diuina, ab hymneo, quod græce est proprie Deos laudare: vnde Hymniferi dicuntur hymnos portantes.

A iij

¶ Carmen,

¶ Carmen, a canendo dici volunt: quod metris scriptum est, quasi Canimen, Car
men dicitur unus, vel duo, vel plures versus. Tota Aeneis carmen heroicum appella
batur, & carmen Bucolicum dicimus.

¶ Carmen potius à carminando. hoc est, deducendo lanam siue linum dicitur. De ducere nanq; lanam, siue linum, & huiusmodi: est uendo, aut carpendo extenuare. Iuuenalis. Qui solet obliquo lanam deducere ferro. Columela per translationem de carmine dixit. Pierides tenui deducite carmina filo. Et Ouid. Ad mea perpetuum deducite tempora carmen. Vergi. in Buc. deductum dicere carmen: quod Seruius exponit, id est, tenue: ut sit translatio à lana: quæ ducitur in tenuitatem: unde & carmen à carpendo, siue carminando dictum est. Ouid. pri. de Ponto. Ut tamen ipse uides luctor deducere versum. Macro. lib. vj. Vergilium (inquit) deductum carmen protenni & subtili posuit eleganter. Pomp. in Attellana. Vocem deducas oportet, ut mulieris videantur uerba. Affranius. Pauculis uerbis respondit tristi uoce deducta. Carmen eacometrum, dicitur à Grāmaticis male mensuratum, quod in syllabarum quantitate peccat.

¶ Carmen quandoq; dicitur incantatio, vt illud. Carmina de celo possunt deducere lunam.

¶ Carmen famosum dicitur libellus infamatorius. ff. de testa. l. 1. s. Si quis (inquit) ob eam famam famosum dānatur. HORA. ij. sermo. In quem condiderit, si quis mala carmina iussit.

¶ Sequitur

¶ Sequitur Prologus hymnorum.



HYMNVS dicitur laus Dei cum cantico. Quatuor fuerunt principales autores, qui hymnos composuerunt, scilicet Gregorius, Prudentius, Ambrosius, Sedulius. Sed quidam vir prudens nomine Hylarius: videns illos multos hymnos composuisse, dignum duxit quosdam in vnum colligere: & compendiose componere breuem & vtilem tractatum: in quo omnes hymni vtiliores maxime essent. Prima intentio fuit describere illos, qui cantantur in prima feria: & sic deinceps secundum ordinem. Vtilitas maxima est: vt perlecto libro cognitionem habeamus vnitatis & trinitatis. Supponitur theoricæ, id est, diuine contemplationi.

¶ Sed quia mentionem fecimus de feria, videamus quid sit feria. Feria est solennis dies. Beatus enim Siluester videns Hebræos dicentes prima sabbati, secunda sabbati, & sic deinceps, similiter videns gentiles nomina suorum Deorum vel stellarum posuisse, vt dies lune, dies martis, &c. Noluit imitari mores & sectam eorum, scilicet Hebræorum & gentilium. Sed loco huius inuenit hoc nomen feria. Sed in fine septimæ inseruauit sabbatum, quod fecit ad figuram: quia sabbatum interpretatur requies. Et nos per totam hebdomadam, id est, per totum spaciū vite nostre, quod currit spacio septem dierum, debemus laborare: & niti summo conamine, vt perueniamus ad requiem & ad eternam beatitudinem. Vnusquisque hymnus habet suam materiam. In illis, qui sunt de nocte, accipit materiam ipsum tempus, id est, significationem ipsius temporis, scilicet, vt expellat à nobis tenebras ignorantie, & vitiorum, & informet nos virtutibus, & sancti spiritus charitate. In illis vero, qui sunt de die, accipit materiam ipsum lumen, & vult deprecari Deum, vt quemadmodum illuminat nos sua claritate, & splendore solis in corpore, sic illuminet nos sancti spiritus gratia in mente. Amen.

Antonus.

A

¶ Antonius Nebriffensis in unumquodq; hymnorum genus.

¶ Carmen est dimetrum iambicum archilochium monocolon orthometrum. Quod canitur ad horas nocturnas certis quibusdam diebus dominicus. Hortatur Christiani fideles, ut excusso nocturni temporis somno surgant petitori admissi peccati veniam: & futuri preservationem, & immortalitatis vite beatitudinem.

Materia huius hymni est commendatio dominici diei: & commendat eum per partes, hęc sunt partes: q; mundus fuit conditus eodem die quo Christus resurrexit: & per hanc commendationem beatus Gregorius vult ob dominici diei apicem, mone re nos ad honorē ipsius de leōo mane surgere, & Deū querere. Dominicus dies merito & cum discretionē omnium dierum primus dicitur, quia dicitur primus respectu omnium creaturarum. Tertius dicitur respectu resurrectionis domini, quia tertia die resurrexit. Quartus dicitur respectu octauę, diei: quia in die octaua omnes resurgere debemus ad æternam vitam. Et ideo queramus in dominico die, quo Christus resurrexit, ipsum Christum: ut a morte vitiorum ad vitam & gaudeum sempiternum resurgamus in die iudicii, quo bona bonis: mala malis reddentur. Descensus fiat ad iudicium. Ergo dico dominicum diem maiorem esse alijs omnibus: quia mundus fuit conditus: & Christus resurrexit eodem die: ergo maior est alijs diebus. Locus est a partibus sufficienter enumeratis, vel a positione antecedentis. ¶ O fratres omnes (surgamus in primo dierum omnium). i. in dominica die (ocys). i. citius quam alijs diebus (quo). scilicet dominico die (mundus extat conditus) id est factus (vel) pro & (quo die conditor) id est creator omnium creaturarum: iam (morte victa) id est destructa, quia Christus moriendo mortem nostram. i. æternam destruxit, & vitam resurgendo reparauit: & (sic resurgens nos liberat) id est, liberauit ab inferno, vel a potestate diaboli. Surgamus dico (a nostris torporibus) id est, peccatis & vitijs: & non solum modo surgamus: sed queramus per observationem mandatorum (psūm). i. Deum, in hac nocte (sicut nouimus prophetam). i. David Deum quesisse, sicut ipse ait. Media nocte surgebam ad confitendum tibi. &c. Iterū. Lauabo per singulas noctes. &c. Vnde in homilia beati Gregorij legitur de quodam, qui postquam aliquantulum soporis corpori suo dediderat, extra mediam noctem surgebat: & vigilans perorabat, qui tandiu hoc fecit: donec facta est vox de celo a domino dicens. Peccatum tuum dimissum est tibi.

AN T O. Nebriff liberat non liberet, ut in omnibus libris scriptum reperies ratione huius ordinis & orationis contextus, quod tempus præteritum desiderat. Nam liberat pro liberauit positum est, ut ipse superius in sua præfatione dixerat. Surgamus inquam & queramus pium (ut audiat nras preces). i. orationes pro vitandis vitijs, & querendis virtutibus (porrigat suam dexteram). i. auxilium (ut nos expiatis). i. absolutos & purgatos (sordibus). i. a vitijs, vel a sordibus vitiorum (reddat). i. sedibus (polorum) id est celorum & angelorum, id est, ponat nos in celo.

¶ Reddat, inquam, nos polorū sedibus, ut muneret supple nos (beatis donis) id est, donis celestibus (quicq;). i. quicunq; (psallimus). i. canim⁹ (ei). i. domino (quietis horis) id est, horis noctis (in sacratissimo tempore) quo Chri

Primo dierum omnium,
Quo mundus extat conditus,
Vel quo resurgens conditor
Nos morte victa liberat.

Pulsis procul torporibus
Surgamus omnes ocys:
Et nocte queramus pium:
Sicut prophetam nouimus.

Nostras preces ut audiat,
Suamq; dexteram porrigat:
Ut expiatis sordibus
Reddat polorum sedibus.
Ut quicq; sacratissimo
Huius dici tempore
Horis quietis psallimus.
Donis beatis muneret.

Aut resurrexit: tempore dico (huius diei) scilicet dominice, vel (muneret in sacratissimo tempore huius diei) id est in diei iudicii, qui dicitur sacratus: quia ibi bona bonis, mala malis reddentur. Sed quia superiora per nos habere nequimus, vertit se nunc ad filium, & monet nos: quod precemur ipsum quatenus omnis libido, omnis macula, & alia mala facta a nobis remoueatur.

Iam nunc paterna claritas.

Te postulamus affatim:

Absit libido sordidans:

Omnisq; actus noxius.

scribatur cum duplici. ff. significat facunde, & antepenultima producit.

Ne fœda sit, vel lubrica.

Compago nostri corporis.

Per quam auerni ignibus.

Ipsi crememur acrius.

est inferni. Auernus dicitur ab a, quod est sine, & ver veris, quod est delectatio, quasi sine vere. i. sine delectatione. Auernus est locus in inferno ubi est semper ignis, in quo impij cremabuntur qui in hac vita per immundiciam exarserunt.

Additio: Auernus, lacus est Campaniæ prope Baias Plutoni dicatus, ubi introitus ad inferos patere credebatur, & dicitur quasi sine aubus, hoc est aubus inaccessus ob grauitatem odoris. Lucretius lib. vj.

Principio: quod immunda vocant: non nomen id ab re
Impositum: est: quia sunt aubus contraria cunctis.

Ob hoc redemptor quesumus.

Vt probra nostra diluas.

Vita perennis commoda.

Nobis benigne conseras.

Quo carnis actu exules.

Effecti ipsi cælibes,

Vt præstolemur cernui.

Melos canamus gloriæ.

(canamus) id est proferamus (melos). i. cantum ore & corde (gloriæ). i. ad honorem tuæ laudis. Bene enim cantant: qui a bonis operibus non cessant.

Præsta pater piissime,

Patriq; compar vnice:

¶ Iam postulamus te nunc o paterna claritas affatim) id est abundanter (vt libido) id est luxuria & mala concupiscentia. libido dico (sordidans) corpora nostra) & c. minis actus noxijs) id est nocius, id est omne malum opus (absit). i. longe sit remotum, ne animatum corpus sordescat. Affatim aliquando cum vnico. f. scribitur, & est compositum ex a & fabile, quasi abunde, & non discibiliter significet, & correpta antepenultima, si vero

¶ Et ideo te postulamus) ne fœda sit) id est sordibus plena) vel lubrica) id est labilis ad luxuriam (compago nos) stri corporis) id est coniunctio nostri corporis & anime quæ tunc dicitur fœda, quando caro præest virtui: & ratio est pulchra, quando prædominatur corpori: vel de precemur vt caro suheat menti (per quam). i. compaginem (crememur anima & corpore). i. cruciemur (acrius) id est valde acriter (ignibus) id est doloribus) auerni) id

est inferni. Auernus dicitur ab a, quod est sine, & ver veris, quod est delectatio, quasi sine vere. i. sine delectatione. Auernus est locus in inferno ubi est semper ignis, in quo impij cremabuntur qui in hac vita per immundiciam exarserunt.

¶ Et quia timemus ne ignibus crememur (o redemptor quæsumus). i. rogamus, & cum desiderio quærimus (ob hoc) id est propter hoc (vt diluas nostra probra) id est peccata, quæ probant. i. vituperant, & maculant animam, & corpus (& conseras). i. concedas nobis (commoda). i. vtilia perpetua (perennis vitæ). i. æternæ gloriæ.

¶ Quo) prout (exules) nos peregrini cælesti patriæ (actu). i. operatione carnis, quemadmodum qui est alienus patriæ dicitur exul & peregrinus. i. longe remotus a patriæ: sic & nos per opera vitiosa & peccata efficiemur exules a cælesti patriæ (nos ipsi effecti) id est facti (cælibes). i. vitam virtuosam & cælestem ducentes (vt præstolamur). i. expectamus & speramus (nos in quâ cernui). i. inclinati & oculis sursum tenentes ad dominum

(canamus) id est proferamus (melos). i. cantum ore & corde (gloriæ). i. ad honorem tuæ laudis. Bene enim cantant: qui a bonis operibus non cessant.

¶ O piissime qui piast. i. mundasti nos a vitis (pater). i. o creator & autor omnium rerum (& o vnice) id est Christe fili Dei viui. vnice dico (compar). i. æqualis secundum diuinitatem (patri). i. omnipotenti, in pugillo cælum & terram continenti (tu dico) regnans cum spiritu patris

EXPOSITIO HYMNORVM.

clero) id est consolatore (per omne sæculum) id est ante omnia sæcula (præsta). i. dona nobis ea, quæ supra orauimus (amen). i. sine defectu. i. sine initio, & sine fine.

ANTHO. Amen. Septuaginta interp. verterunt in geneto, hoc est fiat. Aquila vero in epistomenos, id est fideliter: verbum ex fide deductum.

Cum spiritu paracleto.

Regnās p omne seculū. amē.

¶ Carmen est, quale illud Primo dierum. Canitur ad laudes matutinas certis quibusdam diebus dominicis. Et quia luce aduentate gallus canit, alludens ad illud: quod Iesus post tertium galli cantum Petrum respexit: condonationem peccatorum precatur.

¶ Materia huius hymni est commendatio & laudatio altissimi dei omnium conditoris, qui æternus est. i. sine initio & sine. Et distingue: quid distat inter æternum, perpetuum, sempiternum, temporale. Aeternum est, quod caret principio & sine, vt deus. Perpetuum habet principium cum tempore, & non habebit finem: vt anima. Sempiternum est, quod nec habuit principium sub tempore, nec habebit finem sicut æternum. Temporale est: quod incipit cum tempore & habet finē vt corpus nostrum. Contræ (Æterne rerum conditor). i. factor. Conditor nomen est verbale a condo quod componitur a do quod proprie significat abscondo: quasi in vnum interiore locū do. Verg. Scandunt rursus equum: & nota conduntur in aluo. Ponitur tamen aliqui pro cōstruo, quasi simul do. Salustius. Urbem Romam, sicuti ego accepi condidere atque initio habuere Troiani. Significat etiam repono. Plī. Formicæ condunt æstate fructus, quibus hyeme fruuntur. Ponitur etiā pro cōpono. Idem Plin. Opus condidit perpetuo omnibus legendum. Aliquādo etiam pro recondo ac sepelio: vñ sepulchrum conditorium appellatur. Plī. Post conditum monumento corpus. Idem. Tā rara in amicis fides, tā parata obliuio mortuorum, vt ipsi nos debeamus conditoria construere, omniaq; hæredum officia præsumere. A condo dicitur conditio, sed scribitur sine. c. quæ est quedam dispositio, & veluti fors fortunarum temporum, & etiam rerum. Cicerō. O miseram conditionem administrandi consolatus. Aurelius. Ea temporum conditio erat, vt ne conqueri quidem de iniurijs fas esset (qui regis). i. disponis & gubernas (noctem). i. peccato rem vel diabolum (& qui regis diem). i. iustum (& das tempora). i. diueritates (temporum). i. spaciū huius vitæ (vt alleues fastidium). i. remoueas laborem nostrum. Fastidium a verbo fastidio fastidis deriuatur, quod significat cum fastu quoddam contento: fastus enim significat superbiam, siue elationem cum quadam instantia verborum, & est quartæ declinationis. Fastus autē secundæ declinationis est liber fastorum. Aeterni dei sapientia, vt hominis subleuaret fastidia, tempora mira delectatione variat. Nam si semper nox esset: homo deficeret, & periret torpore & inertia propter tenebras: & si semper dies esset, miser homo nimis laboris studio affectus etiam periret. Et ideo dominus misertus nostri: diei, & noctis spaciū posuit & æternum, & temporibus tempora dedit subeuntia. Et nota quod quemadmodum anni sunt quatuor partes, vel quatuor tempora: eodem modo homo constet ex quatuor elementis.

(¶ Præco diei). i. Ioannes (vel præco diei). i. Christi (iam sonat). i. nunciat (diem). Christum, præcodico (peruigil noctis profundæ). i. inferni profundū (nocturna lux, s. Ioannes) qui ante lucem surrexit, vt luceret hominibus, qui erant in tenebris huius mundi (viantibus). i. volentibus ire ad Christum (& segregans noctem a nocte) id est peccatum a peccatore: quia quos vult sumit, quos vult in suo sinit errore. Vel aliter construe (Præco, i. dominus

A Æterne rerum conditor.
Noctē diēq; qui regis.
Et temporum das tempora.
Vt alleues fastidium.

Præco diei iam sonat,

Noctis profundæ peruigil.

Nocturna lux viantibus.

A nocte noctem segregans.

noctes;

effundere preces decreuimus, quoscq; vel præsens adhuc sæculum in carne retinet, vel futurum iam exutos corpore suscepit, pietatis tuæ clementia, omnium delictorum suorum veniam & gaudia consequi mereantur æterna. Per dominum nostrum.

Pro uiuis & defunctis.

Oratio.

Pietate tuâ, quæsumus dñe, nostrorum vincula solue omnium delictorum & intercedente beata & gloriosa sempe q; uirgine Dei genitrice Maria cum omnibus sanctis, nos famulos tuos, & omnem populum catholicum, in omni sanctitate custodi, omnesq; consanguinitate, ac familiaritate, vel confessione & oratione nobis iunctos, vitijs omnibus purga: virtutibus illustra: pacem & salutem nobis tribue, hostes visibiles & inuisibiles remove, amicis & inimicis nostris veram claritatem largire, & omnib; fidelibus uiuis ac defunctis vitam & requiem æternam concede. Per dominum nostrum Iesum Christum.

Pro vitanda mortalitate.

Oratio.

Deus, qui non mortem, sed poenitentiam desideras peccatorum, populum tuum, quæsumus, ad te conuerte propicius: ut dum tibi deuotus existit: iracundiæ tuæ ab eo flagella semper amoueas. Per dominum nostrum Iesum Christum.

Orationes domini nostri Iesu Christi.

Oratio.

Iesu Nazarene respice tribulationes, quæ circumdederunt nos undiq;: & deprecor te toto corde contrito & humili, ac in spiritu humilitatis, ut exaudias me de tribulatione, propter quam te inuoco & proclamo Alpha & Omega Iesu Christe benedicte, pater omnium credentium, atq; omnium creaturarum, & sicut veram carnem de beata uirgine Maria suscepisti, ita veraciter accipiamus: quod a te petimus Qui uiuis & regnas.

Pro tribulatione,

Oratio.

Deus, qui contritorum non despicias genitus: & credentium in te non spernis affectum, intercedentibus omnibus sanctis tuis adesto precibus nostris: quas tibi pro tribulatione nostra effundimus, easq; clementer suscipi tribuas: ut quicquid contra nos diabolicę atq; humanę molliuntur aduersitatum fraudes, ad nihilum redigantur: & consilio pietatis tuæ allidantur, ut nullis aduersitatibus læsi sed de omni tribulatione & angustia erepti, latè in ecclesia tua sancta tibi gratias referamus. Qui uiuis & regnas.

Omnipotens sempiterne Deus tuæ gratiæ pietatem supplici deuotione deprecor, vt omnium malorum meorum vinculo soluas, cunctisq; meis criminibus & peccatis clementer ignoscas: & quia me indignum & peccatorem ad ministerium tuum vocare dignatus es, sic me idoneum ministrum tibi efficias, vt sacrificium de manibus meis placide ac benigne suscipias: electorumque sacerdotum me participem facias, & de præceptis tuis in nullis oberrare me permittas.

Sacræ

¶ Deus, qui te præcipis a peccatoribus exorari, tibiq; sacrificium contriti cordis offerri, hoc sacrificium (quod indignis manibus meis offero) acceptare digneris: & vt ipse tibi hostia & peccatorum meorum percipias remissionem Per.

Post cōmunio.

¶ Deus, qui viuorum es saluator omnium, qui nō vis mortē peccatorum, nec lætaris in perditione morientium, te suppliciter deprecor, vt per hæc sancta, quæ sumpsisti, concedas mihi veniam delictorum meorum: vt admissa desileam, & desilēda postmodum nō admittam, vt cum mihi extrema dies finisq; vitæ meæ aduenerit, mundatum a delictis omnibus, me angeli sancti tui custodiāt. Per dominum.

De sancto Emerico.

Oratio.

Deus, qui Emericum iuuenili flore nitentem, in sanctorum confessorum tuorum consortium sublimasti, præsta (quæsumus) vt quem tibi fecisti esse deuotum, & eius apud te perpetuum sentiamus auxilium Per dominum nostrum Iesum Christum.

De quinque plagis domini nostri Iesu Christi.

Oratio.

Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui de celis ad terrā de sinu patris descendisti, & in ligno Crucis quinque plagas sustinuisti & sanguinem tuum præciosum in remissionem peccatorum nostrorum sudisti, te humiliter imploramus, vt in die iudicii ad dexteram tuam audire mereamur, venite benedicti patris mei. Qui viuis & regnas Deus, per omnia sæcula sæculorum Amen.

De tribus Magis.

Oratio.

Deus, qui tres Magos orientales, Gaspar, Melchior, & Balthazar ad filij tui dñi nostri Iesu Christi cunabula, vt eum mysticis adorarent muneribus, sine impedimēto duxisti, & reduxisti, concede famulis tuis, vt in hoc itinere (quod peracturi sunt) per ipsorum trium Regum piās intercessionēs & merita pacem

& prosperitatem ac sanitatem: quatenus ipso vero sole, vera stella:
la: & vero lumine ducente, ad loca optata sine offensione & impe-
dimento peruenire mereantur. Per dominum nostrum.

De diuisione Apostolorum.

Oratio.

DEus, qui diuisionem apostolorum tuorum hodierna die per
mundum fieri in tua prouidentia præordinasti, vt in vna fi-
dei gratia gentium per orbem vbique dispersa vocaretur ecclesia,
da nobis per supplicationem ipsorum veniam promereri pecca-
torum: quorum vera prædicatione, ad tui sancti nominis perue-
niamus agnitionem. Per dominum nostrum.

De sancto Stephano Rege & cōfessore Vngarorum. Oꝛo

DEus, qui beatum Stephanum regē & confessorem tuum ter-
reni imperij gloria & honore coronasti: & sanctorum tuo-
rum societate sublimasti, præsta quæsumus: vt quem Panonia ha-
buit diuinæ religionis doctorem in terris, eum modo ecclesia me-
reatur habere defensorem in cælis. Per dominum.

De sancto Gregorio pro defunctis.

Oratio,

OMnipotens sempiterne Deus: qui nos beati Gregorij con-
fessoris tui atq; pontificis cōmemoratione letificas, concede
propicius, vt qui eius precibus & meritis defunctorum animas
supplicij misericorditer liberasti, liberes quoq; eiusdem pijs suffra-
gij animam famuli tui. N. a tormentis æternis, ereptamq; cæle-
stium bonorum facias esse consortem. Per dominum.

Hæc oratio dicatur ante benedictiones sequentes.

DEus, qui famulo tuo Moyse in liberatione populi tui de egypto,
agnum occidere iussisti in similitudinem domini nostri
Iesu Christi, & utrosq; postes domorum de sanguine huius agni
perungi præcepisti, ita benedicere & sanctificare digneris hanc
creaturam carnis: quam nos famuli tui ad laudem tuam sumere
desideramus, per resurrectionem domini nostri Iesu Christi. Qui
tecum viuit & regnat in vnitæte. &c.

Benedictio Carnium vel Avium.

Oratio.



DIGNARE domine Deus omnipotens benedicere & sanctificare has ouium siue auium carnes: vt
quicumq; ex populo tuis fideliter de eis comederint
omni benedictione cum gratia saturati, repleantur
bonis. Per dominum nostrum.

Benedictio Casei & Otorum.

Oratio.

Deus creator & conseruator generis humani, dator gratiæ spiritualis: largitor eternæ salutis domine, effunde benedictionem tuam super hanc creaturam Casei & Otorum: vt armati caelesti defensione, quicunq; ex eis gustauerint, sibi proficiat ad eternam salutem. Per dominum nostrum.

Benedictio Panis.

Oratio.

Domine sancte pater omnipotens æterne Deⁱ, bēdicere digne ris hunc panē tua sancti spiritali benedictione: vt sit omnibus sumentibus salus mentis & corporis atq; contra omnes morbos & vniuersas inimicorum insidias tutamen. Per dominum nostrum Iesum Christum.

Benedictio Locī vel Domus.

Oratio.

Benedic domine Deus omnipotens Locum istum, vel domum istam vt sit in eo vel in ea sanitas, castitas, victoria, virtus, humilitas, bonitas & māsuetudo, plenitudo legis, & gratiarum actio deo patri & filio & spiritui sancto, & hæc benedictio maneat super hunc Locum vel super hanc Domum, & super habitantes in eo vel in ea. Per dominum nostrum.

Benedictio vnicuiq; Rei.

Oratio.

Benedic domine creaturam istam N. vel N. vt sit remedium salutare generi humano, & præsta per inuocationem tui sancti nominis, vt quicunq; ex ea sumpserint, vel gustauerint, corporis sanitatem, & animę tutelam percipiant. Per dominum.

Benedictio nouorum Fructuum.

Oratio.

Benedic domine hunc Fructum nouum aruorum: vt hi, qui vtuntur eo, sint mente & corpore sanitati restituti. Per do.

Benedictio Vuarum vel Ficorum.

Oratio.

Benedic domine hos Fructus novos Vuarum siue Ficorum: quos tu domine per rorem cæli & inundantiam pluuiarum, & tempora serena atq; tranquilla, ad maturitatem producere dignatus es percipiendos nobis cum gratiarum actione. Per Christum.

Benedictio Otorum.

Oratio.

Subueniat, quæsumus domine, tuæ benedictionis gratia huic Otorum creaturæ, de qua pullos gallinarum procreare dignatus es: vt cibis salubris fiat fidelibus tuis in tuarum gratiarum actio ne sumentibus. Per Christum dominum.

De orationibus ad Cathecumenum faciendum.

Omnipotens sempiternus Deus, pater domini nostri Iesu Christi respicere dignare super hunc famulum tuum N. quem ad rudimenta fidei vocare dignatus es: omnem cecitatem cordis ab eo expelle, dirumpe omnes laqueos Sathanæ: quibus fuerat colligatus Per dominum nostrum. *Alia oratio*

Aperi ei domine ianuam pietatis tuæ: & signo sapiētiae tuæ imbutus, omnium cupiditatum foetoribus careat: & ad suam uem odorem præceptorum tuorum latus, tibi in ecclesia tua deferuiat, & proficiat de die in diem, ut idoneus efficiatur accedere ad gratiam baptismi tui percepta medicina. Per eund. *Alia oratio.*

Precs nostras, quæsumus domine, clementer exaudi, & in hunc electum tuum crucis dominicæ impressione, quem signamus, virtute custodi: ut magnitudinis gloriæ rudimenta seruans, per custodiam mædatorum tuorum ad regenerationis gloriam peruenire mereatur. Per dominum. *Alia oratio.*

Deus qui humani generis ita es cōditor ut sis etiam reformator, propiciare populis ad optiuus, & nouo testamēto sobole nouæ prolis ascribere ut filij tui promissionis, quod non poterunt assequi per naturā, gaudeant se recepisse per gratiā. Per eund. *Benedictio salis.*

Exorcizo te creatura salis in nomine Dei patris omnipotentis, & in charitate dñi nostri Iesu Christi, & in virtute spiritus sancti. Exorcizo te per Deum uiuum & verum, per Deum, qui te ad tutelam humani generis procreauit, & populo venienti ad credulitatē per seruos suos consecrari præcepit: ut in nomine sanctæ Trinitatis efficiaris salutare sacramentum ad effugandum inimicum. Proinde rogamus te dñe Deus noster, ut hanc creaturā salis sanctificando sanctifices, benedicendo benedicas: ut fiat omnibus accipientibus perfecta medicina permanēs in visceribus eorum, in nomine dñi nostri Iesu Christi: qui uerturus est iudicare uiuos & mortuos & sæculum per ignem. Accipe sal sapientiæ, per quod propiciatus sit tibi Deus in vitam æternam. *Oratio.*

Deus patrum nostrorum, Deus vniuersæ conditor veritatis, te supplices exoramus, ut hunc famulum tuum N. respicere digneris propicius, & hoc primum pabulum salis gustantem non diutius esurire permittas, quo minus cibo expleatur celesti.

quatenus sit semper domine spiritu fruens, spe gaudens tuo semper nomini seruans, & perduc eum ad nouæ regenerationis lacuum: ut cum fidelibus tuis, promissionum tuarum eterna premia consequi mereatur. Per dominum nostrum.

¶ Deus Abraam, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Moyse famulo tuo in monte Sinai apparuisti deputans ei angelum pietatis tuæ, qui custodiret eos die ac nocte: te quaesumus dñe, ut mittere digneris sanctum angelum tuum, ut similiter custodiat, & hunc famulum tuum N. & perducatur eum ad gratiam baptismi tui.

¶ Ergo maledicte diabole recognosce sententiam tuam, & da honorem Deo uiuo & uero, da honorem Iesu Christo filio eius, & spiritui sancto, ut exeat & recedas ab hoc famulo Dei N. quia istum sibi Deus & dominus noster Iesus Christus ad suam sanctam gratiam & benedictionem fontemq; baptismatis dono vocare dignatus est: & hoc signum sanctæ crucis (quod nos frõti eius damus) tu maledicte diabole nunquam audeas violare. Per eundem.

Super fœminas.

Deus cæli, Deus terræ, Deus angelorum, Deus archangelorum, Deus prophetarum, Deus apostolorum, Deus martyrum, Deus cõfessorum, Deus uirginum, Deus omnium bene uiuentium, Deus cui ois lingua cõfiteatur, oẽ genua flectitur cælestium, terrestrium, & infernorum, te inuoco dñe super hanc famulam tuam N. ut perducere eam digneris ad gratiam baptismi tui. Per.

Super masculos.

Deus immortale præsidium postulantium, liberatio supplicum, pax rogantium, uita credentium, resurrectio mortuorum, te inuoco domine super hunc famulum tuum N. qui baptismi tui donum petens, æternam consequi gratiam spiritali regeneratione desiderat. Accipe eum domine, & quia dignatus es dicere, petite & accipietis, querite & inuenietis, pulsate & aperietur uobis, petenti præmium porrigere, & ianuam pande pulsanti: ut æternam cælestis lauacri benedictionem consecutus, promissa tui muneris regna percipiat. Per dominum nostrum.

¶ Audi maledicte Sathana adiutor per nomẽ æterni Dei & saluatoris nr̃i Iesu Christi filij eius, cum tua uictus inuidia tremens gemenq; discede, nihil tibi sit cõmune cum seruo Dei iam cælestia cogitanti, renunciaturus tibi ac sæculo tuo, & beatę immortalitatis.

tati victuro. Da igitur honorem aduenienti spiritui sancto para-
cleto, qui ex summa cæli arce descendens, perturbatis fraudibus
tuis, diuino fonte purgatum pectus (id est sanctificatum) Deo tē-
plum & habitaculum perficiat, & ab oībus penitus noxijs præ-
torum criminum liberatus, seruus Dei effectus, gratias peren-
ni Deo referat semper, & benedicat nomen eius sanctum in secu-
la sæculorum Amen.

Super fœminas.

DEus Abraā, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus qui Tribus Israel
de Aegyp̃tia seruitute liberaſti, & per Moysen famulum
tuum de custodia mandatorum tuorum in deserto monuiſti, &
Susannā de falso crimine liberaſti, te supplex dñe deprecor: vt li-
beres & hanc famulā tuam N. & perducere eam digneris ad gra-
tiā baptis̃mi tui.

De masculis.

EXorcizo te immunde spiritus in nomine patris, & fili, & spi-
ritus sancti. vt exeas & recedas ab hoc famulo Dei N. ipse e-
nim tibi imperat maledicte dānate, qui pedibus suis supra mare
ambulauit, & Petro mergenti dexteram porrexīt.

Super fœminas.

EXorcizo te immunde spiritus per patrem & filium & spiri-
tum sanctum, vt exeas & recedas ab hac famula Dei. N ipse
enim tibi imperat maledicte dam̃nate: qui cæco nato oculos ape-
ruit & quatrīduanum Lazarum de monumēto suscitauit. Oro.

A Eternam ac iustissimam pietatem tuam deprecor dñe san-
cte pater cōpotens æterne Deus luminis & veritatis su-
per hunc famulum tuum N. vt digneris eum illuminare lumine
intelligentiæ tuæ, munda eum, & sanctifica, & da ei scientiam ve-
ram, vt dignus efficiatur accedere ad gratiā baptis̃mi tui, teneat
firmam spem, consilium rectum, doctrinā sanctā: vt aptus sit ad
percipiendā gratiā baptis̃mi tui. Per.

NE te latet Sathana imminere tibi pœnas, imminere tibi
tormenta: imminere tibi diē iudicij, diem supplicij sempi-
terni, diē, qui venturus est velut clibanus ardens, in quo tibi atq̃
vniuersis angelis tuis æternus veniet interitus. Proinde dānate
atq̃ dānande da honorē Deo viuo & vero, da honorē Iesu Chri-
sto filio eius & Spiritui sancto, in cuius nomine atq̃ virtute præ-
cipio tibi quicunq̃ es spiritus immunde, vt exeas & recedas ab
hoc famulo Dei quē hodie Deus & dominus noster Iesus Chri-

stus ad suam sanctam gratiam & benedictionē fontemq; baptis-
matis dono vocare dignatus est, vt fiat eius templum per aquam
regenerationis in remissionem omnium peccatorum, in nomi-
ne eiusdem domini nostri Iesu Christi: qui venturus est iudicare
vivos & mortuos & sæculum per ignē. Epheta, quod est aperire,
In odorem suauitatis. Tu autem effugare diabole, appropinqua
bire enim iudiciū Dei. Ad benedictionem aquæ. Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus adesto magnæ pietatis tuæ
mysterijs, adesto sacramentis: & ad recreandos nouos popu-
los, quos tibi fons baptismatis parturit, spiritum adoptionis e-
mitte: vt quod nostræ humilitatis gerendum est mysterio, tuæ
virtutis impleatur effectū. Per dominum nostrum.

Præfatio ad benedicendum aquam baptismatis.

Qui inuisibili potentia sacramentorum tuorum mi-
rabiler operaris effectum, & licet nos tantis myste-
rijs exequēdis simus indigni, tu tamē gratiæ tuę do-
na non deferens, etiam ad nostras preces aures tuę
pietatis inclina. Deus cuius spiritus super aquas in-
ter ipsa mundi primordia ferebatur, vt iam tunc virtutem sancti-
ficationis aquarum natura conciperet, Deus qui nocentis mun-
di crimina per aquas abluens, regenerationis speciem in ipsa di-
luuij effusione signasti, vt vnius eiusdemq; elementi mysterio, &
finis esset vitijs, & origo virtutibus. Respice domine in faciem ec-
clesiæ tuæ, & multiplica in ea regenerationes tuas. Qui gratiæ
tuæ affluentis impetu, lætificas ciuitatem tuam, fontemq; baptis-
matis aperis toto orbe terrarum gentibus innouādis. vt tuę ma-
iestatis imperio sumat vnigeniti tui gratiam de Spiritu sancto.
Qui hanc aquam regenerandis hominibus præparatam, arca-
na sui luminis admixtione fecundet: vt sanctificatione conce-
pta, ab immaculato diuini fontis vtero, in nouam renatam crea-
turam progenies cælestis emergat. Et quos aut sexus in corpore,
aut ætas discernit in tempore, omnes in vnā pariat mater in-
fantia. Procul ergo hinc iube te dñe, omnis sp̃ritus immundus
abscedat, procul tota nequitia diabolicæ fraudis absistat. Nihil
hic habeat contrariæ virtutis admixtio, nō insidiādo circumuo-
let: non latēdo furripiat, nō inficiēdo corrumpat. Sit hæc sancta
innocēs creatura libera ab omni impugnatoris incurſu, & totius

nequitia & purgata discessu, sit fons viuus, aqua regenerans, vnde
purificans: vt omnes hoc lauacro salutifero diluendo operante in
his spiritu sancto) perfectæ purgationis indulgentiam consequan
tur. Vnde benedico te creatura aque per deum viuum, per deum
sanctum, per deum qui te in principio verbo separauit ab arida,
cuius spiritus super te ferebatur in mundi creatione. Qui te de pa
radiso manare fecit, & in quatuor fluminibus totam terram riga
re precepit. Qui te in deserto amaram (suauitate indita) fecit esse
potabilem: & sitienti populo de petra produxit, vnde benedico
te per Iesum christum filium eius vnicum dominum nostrum: qui
te in Chana Galilee signo admirabili sua potentia couertit in vi
num. Qui pedibus super te ambulauit: & a Ioanne in Iordane
te baptizatus est. Qui te vna cum sanguine de latere suo produ
xit: & discipulis suis iussit, vt credentes baptizarentur in te dicēs,
Ite, & docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine patris &
filij, & spiritus sancti.

Oratio.

¶ Hęc nobis precepta feruantibus tu Deus omnipotens clemens
odesio, tu benignus aspira, tu has simplices aquas tuo aore benedi
cito, vt preter naturalem emundationē quā lauandis possint ad
hibere corporib⁹, sint etiā purificadis tibi mētib⁹ efficaces. Oꝛo.
¶ Descendat in hanc plenitudinem fontis virtus spiritus sancti: to
tamq; eius substantiam regenerandi fecundet effectu, hic omnium
peccatorum macule deleantur: hic natura ad imaginem tuā con
dita, & ad honorē sui reformata principij, cunctis vetustatis squal
loribus emundetur: vt omnis homo hoc sacramentum regenera
tionis ingressus, in veræ innocētiæ nouam infantiam renascatur.
Per dominum nostrum Iesum.

¶ Sanctificetur, & fecundetur fons iste renascentibus ex eo in vi
tam eternam. In nomine patris & filij & spiritus sancti. Amen.

¶ Abrenuncias Sathanæ: & omnibus operibus eius: Abrenuncio
Et ego te lino oleo salutis in Christo Iesu domino nostro, vt ha
beas vitam eternam, & viuas in secula sæculorum. Amen.

¶ Deus omnipotens pater domini nostri Iesu Christi, qui te rege
nerauit ex aqua & spiritu sancto, quiq; dedit tibi remissionem o
mnium peccatorum, ipse te lineat in vitam æternam. Amen.

¶ Accipe vestem sanctam, candidam & immaculatam, quam per
feras ante tribunal domini nostri Iesu Christi, vt habeas vitam

eternam, & vitas in secula seculorum Amen.

¶ Accipe lampadem ardentem irreprehensibilem: & custodi-
pulum tuum, vt cum venerit dominus ad nuptias cum cre-
bis sanctis, possis ei occurrere in aula caelesti, vt habeas vitam eter-
nam, & vitas in secula seculorum Amen.

¶ Dominica in ramis palmarum.

¶ Benedictiones super ramos.

Oratio.

DEus, cuius filius pro salute generis humani de caelo descen-
dit ad terras, & appropinquante hora passionis suae hiero-
solyman in asina venire, & a turba rex appellari, ac laudari vo-
luit, benedicere dignare hos palmarum caeterarumq; frondium
Ramos, vt omnes qui eos laturi sunt in manus suas, tuis ita bene-
dictionibus repleantur, quatenus & in hoc saeculo hostis antiqui-
tentamenta superare, & in futuro cum palmis victoriae & fructu
honorum operum, tibi valeant apparere.

Alia oratio.

¶ Omnipotens sempiterne Deus, qui Noe famulo tuo ostendisti di-
luuij effusionem, & per os columbae gestantis Ramum oliuae pa-
cem terrae redditam renunciare voluisti, te supplices deprecamur
vt hanc creaturam oliuarum siue caeterarum frondium, quam an-
te conspectum gloriae tuae offerimus, potentia tua sanctifices: vt
eas deuotus populus in manibus suscipiens, benedictionis tuae gra-
tiam consequi mereatur.

Alia oratio.

Petimus dñe sancte pater omnipotens aeternae Deus, vt respice
re digneris super hanc creaturam oliuae & palmae, caeterarumq;
frondium: quam in ligni materia perducere iussisti, cum columba
rediens arcam proprio protulit ore, benedicere & sanctificare di-
gneris hos Ramos: vt quicumq; ex eis acceperint, sint ad perfectio-
nem animae & corporis, & fiant nostrae salutis remedium, & tuae
gratiae sacramentum.

Alia oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dispersa congregas, & con-
gregata conseruas, qui populis hominum & Ramos portantibus
benedixisti benedic hos Ramos palmae & oliuae, caeterarumq; fro-
ndium, quos filij tui ad honorē nominis tui suscipiunt: vt quocumq;
loco introducti fuerint, tuae benedictionis consequantur effectum
vt omni aduersa valitudine effugata, dextera tua protegat, quos
redemit. Per dominum nostrum Iesum Christum.

¶ FINIS.

